

unctio, in nullo jure fundatur: atqui, « Erubescimus sine textu loqui, » juxta illud vulgatum inter juris consultos, et liquet ex Auth. de Tridente et semiss. § Consideremus. collat. 3, ubi proin Glossa 7. Erubescimus, notandum inquit, non valere responsionem, quæ lege non probatur: et Baldus c. In Genesi. n. 40; de Election., ait, « quod paria sint, aliquid fieri sine lege, et contra legem. »

215. Eadem sententia probatur rationibus. — Confirmatur et probatur eadem sententia ratione. Quia in Ecclesia Dei duo sunt genera christianorum, unum est clericorum, divino servitio specialiter mancipatorum; alterum laicorum, qui temporalia tractant, c. Duo sunt genera. 12, q. 1. Simulque ex divina institutione duplex in Ecclesia Dei datur potestas, pontificalis videlicet, seu ecclesiastica; et regalis, sive civilis, c. Novit. de Majoritat. et obed., et Extravag. Unam sanctam, eod. quarum illa, veluti spiritualis, tanto dignior est altera, seu temporali dumtaxat, quanto anima præfertur corpori, prout ibidem notatur. Atqui jure naturali ac divino notum est, quod anima non sit subjecta corpori, sed veluti nobilior pars hominis actiones ipsius moderetur; ergo etiam eodem jure (supposita semel institutione divina ordinis clericali) potestas ecclesiastica, statusque clericali, non subjicitur, sed exemptus esse dignoscitur a jurisdictione potestatis sæcularis: ita quidem, ut veluti superior, cum opus fuerit, hanc dirigere, judicare et coercere possit: non autem ab ipsa dirigi, judicari, vel coerceri.

216. Eadem sententia probatur rationibus. — Accedit, quod clerici dignitate, gradu et ordine in Ecclesia sint superiores; laici vero inferiores, can. Denique; dist. 4. et c. Solita, de Majorit. et obed., et alibi; atqui jure naturali notum est, quod inferior non habeat potestatem ac jurisdictionem in superiorem. Insuper potestas ecclesiastica fuit a Christo Domino in lege evangelica supernaturaliter constituta, et divo Petro, suo in terris constituto vicario, ejusque legitimis successoribus, ac per hos cæteris sacerdotibus, et clericis in partem sollicitudinis vocatis, non autem principibus laicis commissa, can. In novo, dist. 21, et can. Bene quidem, ac seqq. dist. 96. et d. c. Solita, de Majorit. et obed.; cum similibus: ergo pariter ipsorum exemptio a jurisdictione sæculari, sive immunitas personalis ex ipsamet Christi institutione, sicque ex jure divino promanasse dignoscitur. Idque

eo magis, quia clerici et corpus et animam in sortem Domini transtulerunt, Deique servitio peculiariter dedicarunt, can. Cui portio. 12. q. 1. Neque munere suo rite fungi possent, nisi liberi essent ac immunes a jurisdictione civili; cum clericis laicum esse infestis, oppido tradat antiquitas, can. Laicos. 2, q. 7. et c. Clericis. de Immunit. Eccles. in 6.

217. Ac referuntur auctores ipsam tenentes. — Et hanc sententiam amplectitur Glossa in can. Si imperator. dist. 96. 7. Et discuti. Hostiensis in cap. II, et Baldus ibid. n. 3, de Majorit. et obed. Abbas in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, n. 6, de Constitut. Robertus Bellarminus l. I, de Clericis, cap. xxix, ac fuse eam propugnans. Alexander Sperellus, decis. 37, Fori ecclesiastici, n. 1. allegans plures alios, tum theologos, tum canonistas; et subjungens, quod hæc sententia fuerit canonizata a Rota in decis. 40, n. 2, de Consuetud. in antiquiorib.; Martha de Jurisdict. part. II, cap. vi, per totum; Julius Clarus in Practic. crimin., § fin. quæst. 36, n. 2, asserens post Alciatum in c. Cum non ab homine, n. 2, de Judic. et alios, hanc esse communem opinionem; Barbosa, lib. I Jur. ecclesiast. univ. cap. xxxix, § 2, n. 5. et ibid., § 5. n. 3, citans plurimos alios; Layman, l. IV. tract. IX, cap. VIII, n. 1; Fagnanus in c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, n. 10, et seqq. de Constitut. dicens, « quod celebrior gravissimorum interpretum sententia est eam exemptionem esse de jure divino; » Pirhing, h. t. n. 107, et seqq., ubi, cum utriusque sententiæ fundamenta præmississet, tandem n. 112, in fin. concludit, quod hæc sententiæ sit « communior canonistarum, juriq; canonico conformior, et statui clericorum favorabilior, ac melioribus nitatur fundamentis, et merito præferenda sit. » Engel h. t. n. 38, et alii.

218. Certum est quod clerici, ecclesiæ bonaque ecclesiastica jure divino sint exempta quoad ea, quæ vere sunt spiritualia. — Quæritur III. Quid in tanta sententiarum diversitate rationumque conflictu præ cæteris sit tenendum? Resp. I. Certum est, quod clerici (quin et ecclesiæ bonaque ecclesiastica) jure divino sint exempta quoad ea, quæ vere sunt spiritualia, divina, seu ecclesiastica, uti sunt, sacramenta administrare, sacra munia officiaque ecclesiastica obire, interpretari verbum Dei, pœnas canonicas sancire, aut remittere, vel in his dispensare; examinare, eligere et instituere idoneos Ecclesiæ mi-

nistros; de dubiis circa fidem, sacramenta, beneficia ecclesiastica, aliasque res sacras et supernaturales occurrentibus judicare, et alia hujusmodi præstare, ad quorum cognitionem, seu executionem, supernaturalis cognitio requiritur, sicque ad solam potestatem ecclesiasticam privative pertinent. Ita omnes catholici; adeo, ut in hoc conveniant omnes utriusque sententiæ assertores, ut notat Barbosa cit. cap. xxxix. § 2. n. 5, ac in specie Covarruvias cit. cap. xxxi. Pract. quæst. n. 2, concl. 1. et Castro Palao, ac Farinaeus supra, n. 200 citati.

219. Et hujus ratio. — Ratio est, quia potestas ecclesiastica, quæ circa jura spiritualia versatur, supernaturaliter a Deo instituta fuit, ac per Christum Dominum in lege evangelica immediate tradita divo Petro, et ejus legitimis successoribus, ac per hos inferioribus clericis, non autem principibus sæcularibus: ergo. Antecedens patet ex illis verbis Salvatoris Matth. xvi, 19, ad Petrum apostolorum principem prolatis: Tibi dabo claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis. Item Joan. xxi, 17: Pasce oves meas, cum similibus. Accedit: quia jure divino potestas ecclesiastica est distincta a civili, seu politica; et hæc illi comparata longe est inferior, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem comparetur, c. Duo sunt quippe. dist. 96. Et quanta est differentia inter solem et lunam, tanta est inter potestatem pontificiam, quæ præest diebus, seu spiritualibus, et inter potestatem regalem, seu politicam, quæ præest noctibus, seu temporalibus, c. Solita. de Majorit. et obed. Tacentur similia.

220. Probabilius est, quod etiam in temporalibus jure divino exemptantur. — Resp. II. Probabilius est, juriq; conformius, quod clerici, Ecclesiæ, bonaque ecclesiastica, etiam in temporalibus jure divino a civili potestate sint exempta. Conclusionem hanc convincere videntur tum auctoritates, tum rationes pro posteriori sententia a n. 201 et deinceps allatæ, ac pondere suo rationes prioris sententiæ multum excedentes. Accedit, quod eadem sententia immunitati ecclesiasticæ, statuique clericali favorabilior existat: unde vel ex hoc capite potius amplectenda, et perseverante inter doctores controversia, pro viribus defendenda nobis erit, ad imitationem doctoris subtilis Joan. Duns Scoti in 3. dist. 14. q. 4. § Quantum ad secundam quæ-

tionem; ubi in simili notabiliter pronuntiavit: « In commendando Christum (statumque clericalem ab eodem institutum) malo excedere, quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterutrum incidere. » Eadem sententia suadet ex hoc, quia ex una parte omnino concedendum est, exemptionem clericorum etiam in temporalibus aliqua ratione esse de jure divino, propter clarissimos textus juris canonici, n. 208, 209, 210 et 211 relatos: ex altera parte nulla ratio convincit dictos textus esse improprie accipiendos, prout liquet tum ex dictis n. 222 et seqq., tum amplius patebit ex solutione rationum pro altera sententia superius allatarum.

221. Solvuntur rationes oppositæ sententiæ. — Et quidem imprimis, n. 194 dicitur, quod nec ex sacra Scriptura, neque ex traditionibus constet exemptionem clericorum esse de jure divino. Resp. neg. assumptum, ob auctoritates, et rationes in favorem nostræ sententiæ copiose adductas, juncta præsertim declaratione Ecclesiæ in jam citatis canonibus contenta: hæc enim omnia insimul sumpta, licet necdum nostram sententiam convincant esse fide divina credendam, sicque adhuc sit locus disputationi inter theologos et canonistas; eam tamen reddunt valde probabilem, et multum probabiliorem contraria. Dum vero additur, quod ex iisdem, videlicet sacra Scriptura et traditionibus, potius habeatur oppositum, id omnino negatur.

222. Solvuntur rationes oppositæ sententiæ. — Neque urgent ibidem adducta sacræ Scripturæ loca. Ad istud quippe Matth. xxii, 21, ubi Christus interrogatus, num liceat census dare Cæsari, audita hujus imagine, et superscriptione apposita dixit: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: facile respondetur ipsum locutum fuisse de laicis, utpote in ordine ad quos interrogabatur. Et quia illico adjecit: Et quæ sunt Dei, Deo: bona autem ecclesiarum, clericorum, et pauperum usibus deputata, « sint res Dei, » juxta dicta n. 211; hinc textus ille evangelicus in oppositum urget, probando videlicet, juxta Salvatoris effatum, et sic jure divino, ejusmodi bona ecclesiastica esse reddenda Deo, seu in pios usus roganda; non autem subjacere jurisdictioni, atque exactionibus Cæsaris, seu principum sæcularium.

223. Solvuntur rationes oppositæ sententiæ. — Ad illud Matth. xvii, 26, ubi Christus pro se, ac Petro, jussit solvi tributum, responde-

tur id factum esse scandali vitandi causa; ut patet ex ipsomet textu evangelico, ibi: *Ut autem non scandalizemus eos, vade, etc.* Imo ex hoc ipso loco doctores nostræ sententiæ fortissimum pro se formant argumentum, ut jam supra n. 206 declaratum fuit.

224. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Ad illud *Rom. xiii, 1*, ac nonnullos alios consimiles textus sacræ Scripturæ respondetur, ibi solum dici, quod generatim omnes homines, etiam clerici, debeant subditi esse legitimis suis superioribus, eisque debitam reverentiam et obedientiam exhibere: nulli autem dici, quod reges sæculi sint legitimi superiores, ac iudices clericorum. Alioquin quippe oves pastoribus, filii parentibus, ac temporalia spiritualibus præeminent, Bellarminus, cit. lib. I, de *Clericis*. cap. xxx, § *Quarto*. et concordat. c. *Solitæ*, de *Majorit. et obed.*

225. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Nec urget exemplum sancti Pauli, appellantis ab Cæsarem, *Actor. xxv, 11*. Nam ibidem Paulus apostolus fuit actor contra Festum iudicem injuste se gravantem, ac Judæis tradere volentem; est autem generale, quod actor sequatur forum rei, c. *Cum sit generale*. h. t. cum similibus. Unde etiam de facto clericus agens contra laicum in causa temporali, tenetur ipsum convenire coram iudice sæculari. Tacetur, quod illis temporibus Ecclesia nondum habuerit plenum usum, atque exercitium suæ potestatis ac juris, sed tantum quoad habitum et originem.

226. *Ecclesia et clerici, de agris, ac possessionibus solvunt tributa, aliæque onera realia.* — Ad confirmationem, et diversos textus juris canonici n. 195 allatos, respondetur plerosque canones, in quibus dicitur primitivam Ecclesiam ex agris, seu de exterioribus suis, solvisse tributum, commode explicari de tributis aliisque oneribus mere realibus, quæ ab antiquo bonis illis imposita fuerunt, sicque cum onere suo ad Ecclesiam pervenerunt, ut loquitur Glossa ibidem allegata: ex hoc autem nihil sequitur contra nostram sententiam. Quinimo etiamnum hodie ecclesiæ, atque clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ, de agris, ac exterioribus suis possessionibus, id quod antiquitus constitutum fuit (hoc est, tributa, aliæque onera realia) pro pace et quiete, qua eos tueri et defensare debent, imperatoribus, aliisque principibus sæcularibus persolvere tenentur, can. *Tributum*. 23, q. 8, atque incunctanter sol-

vunt, cap. 1, juncta Glossa 7. *Præter ecclesiasticum. de Censib.* et *Clem. 4*, eod. haud obstante, quod nunc indubitate constet de privilegio fori ipsis competente.

227. *Quid de aliis tributis?* — Quod si nonnulli canones velint Ecclesiam olim de agris suis alia etiam tributa solvisse, respondetur id sub initio nascentis Ecclesiæ, atque ad exemplum Christi Domini, didrachma solventis pro evitando pusillorum scandalo, *Matth. xvii, 26*, observatum fuisse, non de jure, sed de facto; quia tunc clerici, ipsæque ecclesiæ, principibus sæcularibus etiamnum paganis quoad hoc parere debebant, ne christiana fides ac religio majus damnum pateretur. Piring, h. t. n. 112. Quinimo in publicis necessitatibus, ac servatis servandis, quæ continentur in c. *Non minus*. 4, et c. *Adversus*. 7, et *Clem. un. de Immunitat. Eccles.* etiam de facto clerici præstant laicis extraordinaria subsidia, seu novas collectas, absque ulla ipsorum subjectione ad istos.

228. *Privilegia circa clericorum exemptionem non sunt, nisi juris declaratio.* — Ad alios textus juris, n. 196 relatos, in quibus exemptio clericorum attribuitur privilegiis, et constitutionibus tum canonicis, tum imperialibus, resp. cum Glossa in can. *Si Imperator*: dist. 96, quod hujusmodi privilegia, et constitutiones, quæ emanarunt circa clericorum exemptionem, « non sunt nisi juris declaratio: » hoc est, non continent jus novum, sed dumtaxat juris antiqui, naturalis videlicet ac divini, declarationem. Nam, ut inquit Alex. Sperellus cit. decis. 37, *Fori ecclesiast.* n. 1, post rotam decis. 10. n. 2, de *Consuetud. in antiquiorib.* et Suarez in *Defens. fidei catholice*, lib. IV, cap. viii, n. 9, et seqq. dicta immunitas clericorum, quæ immediate ac proprie est de jure divino, postmodum a jure canonico, declarante jus divinum, detecta fuit, et quoad usum atque exercitium a principum orthodoxorum sanctionibus emanata, et stabilita: sicque potest dici esse de jure humano positivo quoad declarationem, confirmationemque, et quoad usum ac exercitium ejus (hæc enim proxime habentur ex canonicis constitutionibus, et imperialibus, privilegiis), non autem secundum se, ac proprie: sic enim immediate provenit ex jure divino.

229. *Ecclesia, seu Papa, potuit moderari, ac limitare exemptionem clericorum; et cur?* — Ad rationem n. 197, in favorem prioris sententiæ allatam, negatur sequela. Licet enim

exemptio clericorum, ipsaque immunitas ecclesiastica, secundum se ac generatim spectata, sit juris divini, tum naturalis, tum positivi, ac per Ecclesiam declarati: nihilominus quoad casus individuales, seu quantum ad ejus executionem in particulari, ejusdem determinatio ac moderatio pertinent ad iudicium, atque ordinationem Ecclesiæ, Christiane in terris vicarii, Romani Pontificis, arg. c. *Inter corporalia de Translat. episc.* Ubi dicitur quod Romanus Pontifex, Christi vicarius, possit etiam spirituale conjugium, inter episcopum et Ecclesiam contractum, ac divino solum iudicio reservatum, propter ejus translationem, depositionem aut cessionem dissolvere: « Non enim (ait textus tunc) humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur. » Simile quid contingit in residentia clericorum in beneficiis curatis, quam esse juris divini passim fatentur doctores, conformiter concilio Trident., sess. 23, cap. 1, de *Reform.* et tamen quoad casus particulares plurimas a sacris canonibus, et Sede apostolica, patitur moderationes, dispensationes ac limitationes. Tacetur, quod ipsum præceptum naturale, ac divinum Decalogi, *Non occides*, patitur limitationem id casu belli legitima auctoritate indieti, vel quando auctoritate publica occiduntur malefactores, cum aliis similibus.

230. *Extensio privilegii fori ad personas regulares, facta est auctoritate Ecclesiæ.* — Ad extensionem privilegii fori in ordine ad monachos, et moniales, patet per idem. Licet enim hujusmodi extensio, ob favorem religionis, aliisque gravissimis de causis, ad hujusmodi personas regulares facta fuerit auctoritate Ecclesiæ: ipsa nihilominus privilegium exemptionis jam antea competeat statui clericali, per jura et fundamenta superiorum allata.

231. *Immunitas localis, seu jus asyli, competit ecclesiis jure humano.* — Porro immunitatem localem ecclesiarum, vulgo *Jus asyli*, non competere ecclesiis, aliisque piis locis, jure divino, ac naturali, sed dumtaxat jure humano positivo, tum ecclesiastico, tum imperiali: fatetur quidem communior doctorum, atque egometipse docui in *Theologia morali*. tract. XII, dist. 2, n. 2, et seqq. exinde tamen nihil infertur contra conclusionem nostram. Tum quia immunitas localis jam gaudet alio privilegio sibi competente ex jure naturali, ac divino; videlicet, ut actus profani, ac mere sæculares, a locis sacris ar-

ceantur; tum quia jus asyli est valde diversum ab immunitate reali, et personali: ex diversis autem non valet illatio ab uno ad aliud, l. *Duobus*. ff. de *Testament. tutel. card.* Tuschus, littera A concl. 518, n. 2, id ulterius probans ex l. *Papinianus*. ff. de *Minoribus*. (ADNOTATIO XXXIV.)

## § X.

## ALIA DUBIA CIRCA PRIVILEGIUM FORI CLERICORUM SOLVUNTUR.

232. *Privilegium fori clericorum, an possit tolli a Papa?* — Quæritur I. Utrum exemptio clericorum sive privilegium fori, possit tolli a summo Pontifice? Resp. I. Quamvis Papa ex toto, ac simpliciter, privilegium fori tollere non possit, cassando videlicet illud quoad omnes clericos omnesque eorum causas, nihilominus potest illud ex rationibus valde urgentibus, pro diversitate temporum et variarum circumstantiarum exigentia, quoad certas personas, causas, aut loca restringere atque immutare. Ita doctores communiter, tam illi, qui exemptionem clericorum asserunt esse de jure divino, quam qui hoc negant; licet, quantum ad posteriorem partem Covarruvias *Pract. quæst.* cap. xxxi, n. 6.; Farinacius, lib. I, *Criminalium*. tit. I, de *Inquisitione*. quæst. 8, n. 4; Castro Palao, tract. XII, de *Religione*, punct. 1. n. 7, et alii, bene observent istud posse facilius fieri quoad clericos primæ tonsuræ, quam quoad clericos in sacris constitutos.

233. *Papa nequit dispensare, aut immutare jus, quando inde resultat decoloratio status Ecclesiæ universalis. Nec privilegium fori clericorum ex toto tollere.* — Ratio prioris partis est: quia licet Papa « secundum plenitudinem potestatis de jure possit supra jus dispensare, » illudque ex causa rationabili de novo revocare, c. *Proposuit*. 4. de *Concess. præbend.*, non tamen potest hoc facere, quando ex tali dispensatione, seu immutatione, decoloraretur status Ecclesiæ universalis; ut docet Glossa ibid. 7. *Dispensare*, id probans ex can. *Memor sum*. 24, q. 1, et Abbas in c. *Proposuit*. n. 14, hoc ulterius probans ex can. *Etsi illa*. 4. q. 7; Archidiaconus in can. *Sunt quidem*. 25, q. 1, et alii. Siquidem potestas est tradita Papæ a Deo in ædificationem, et non in destructionem Ecclesiæ, II *Corinth.* x, 8 et XIII, 10, ac proinde, quod rectæ ejus gubernationi contrariatur, statumque Eccle-